Sigismundus primus rex Poloniæ, Ioanni Laski archiepiscopo Gnesnensi, legato nato, primati.

186

Reverendissime in Christo pater. Credimus quidem non immemorem esse paternitatem vestram, ut anno preterito egerunt Piotrcoviæ nobiscum nuntij terrarum de anticipanda synodo provinciali conventum generalem, atque in eo inter alia decreta res constiterat. Sed ne quid nos prætermisisse videremur eorum, quæ sumus illis polliciti, volumus id paternitati vestræ commemorare, et hortamur illam, ut tempori agere curet ipsam synodum, et unà cum reliquis prælatis et clero, mutuum capiat consilium de his, quæ communi omnium bono statui, et ad conciliandum et unirendum favorem omnium inter se ordinum conducere viderentur, ut viribus regni usque adeo attritis, aliqua certa et firmior defensio statui possit. Secus enim daretur maiorum turbarum occasio, in quibus nihil ut prius boni effici atque ordinari possit, omniaque in ecclesias et ordinem ecclesiasticum redundarent. Factura paternitas vestra officium boni erga patriam antistitis, nobisque tam gratum quam reipublicæ necessarium. Quæ valeat feliciter. Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo quarto.